



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

4. Ex injuncto &c. Episcopatum Ultrajectensem à Metropolitano Coloniensi
eximit, Archiepiscopali Dignitate exornat anno 1560, eidem assignans
Episcopatus Suffraganeos Harlemensem, Daventriensem, ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

derogatoriis derogatarum, aliisque efficacioribus, & efficacissimis & insolitis Clausulis irritantibus, & aliis Decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac alias quomodocumque & qualitercumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, ac concedendis & innovandis.

Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia & multa sint, quæ sub Clausula implicitæ derogationis latissime extendenda, in supplicatione apposita non intelligantur, aut alias comprehendantur.

Nihilominus in genere & in specie, ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis aliis in robore permanentibus, hæc vice duntaxat specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis, de Præposituris huiusmodi speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras & processus habitos per easdem, & inde sequuta quæcumque ad Præposituras, & Archidiaconatum, ac Canonicatum, & Præbendas huiusmodi volumus non extendi: Sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Præpositurarum, & Canonicatum, & Præbendarum, vel Beneficiorum aliorum præjudicium generari.

Aut si Conventui præfatis, & Dilectis Filiis Vallis, & aliis Subditis dicti Monasterii Montis Sanctæ Agnetis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorem existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, ac de quibus quorumque tenoribus totis habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Volumus autem, quod per unionem, annexionem & incorporationem in Præposituram huiusmodi Divinus Cultus in eis nullatenus minuatur, neque Animarum Cura in eis, si qua illis imminet, negligatur, sed earum congruè supportentur onera consueta.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, applicationis, appropriationis, unionis, annexionis, incorporationis, concessionis, indulti, erectionis, institutionis, decreti, absolutionis, liberationis, reductionis, secularisationis, assignationis, dispensationis, inhibitionis, statuti, ordinationis, abdicationis, amotionis, commutationis, translationis, mandati, suspensionis, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexa-

gesimo primo, septimo Idus Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

Scriptum erat Fed. Cardinalis.

Cesius.

Et alio Loco Cæ. Cloricibus.

Item alio Loco A. de Alexiis.

Episcopatum Ultrajectensem à Metropolitanò Coloniensi eximit, Archiepiscopali Dignitate exornat anno 1560. eidem assignans Episcopatus Suffraganeos Harlemensem, Daventriensem, Leovardiensem, Grœningensem, ac Middelburgensem.

PIUS EPISCOPUS.

Seruus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

EX injuncto nobis Apostolicæ Servitutis Officio ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quorumlibet, præsertim Metropolitanarum Insignium noviter erectarum decori & venustati, ac illis præsentium, & aliarum personarum in eis Divinis Laudibus insistentium statui, & opportune subventioni, cum Divini Cultus augmento, & animarum Christianissimorum salute valeat salubriter provideri.

Ac desuper etiam ea, quæ à Prædecessoribus nostris consultè gesta fuerunt, & saniori consilio immutando disponimus, prout locorum & temporum qualitas exigit, ac ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, ac id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus aliàs, postquam felicitis recordationis Paulus Papa Quartus, Prædecessor noster, considerans eam partem inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico, hereditario jure etiam tunc subiecta erat, paucos habere Episcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent, ut illius amplitudo, & frequentissimorum Oppidorum celebritas, ac longè, latèque distitorum Castrorum, & Pagorum copia, Animarumque multitudo, varium item idioma, vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expostulabat.

His aliisque gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis Fidei Catholice succurrere, pioque dicti Philippi Regis desiderio satisfacere, habitaque, sicut rei magnitudo postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum consilio, & Apostolicæ Potestatis plenitudine, Cameracensem, Ultrajectensem, Atrebatensem & Tornacensem Ecclesias, Civitates & Dioceses à Remensi, & certis aliis tunc expressis Provinciis, quibus tunc erant Metropolitanico Jure subiectæ:

Ac Harlemensè, Daventriensè, Leovardiensè, Grœningensè & Middelburgensè, olim Trajectensè, & aliarum Diocesium, & diversa alia tunc expressa Oppida insignia huiusmodi Regionis, à sua quoque Diocesi ac Provincia, perpetuè segregaverat, & diviserat.

Nec non Harlemensè, Daventriensè, Leovardiensè, Grœningensè, Middelburgensè, & reliqua Oppida prædicta sic divisa in Civitates.

Cameracensem verò, & Ultrajectensem, tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam S. Rummoldi Mechliniensè, in Metropolitanam, & certas alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum prædictarum Ecclesias, in Cathedralis Ecclesias, pro totidem Archiepiscopis & Episcopis, qui suæ quisque Ecclesiæ præsentent.

Neo non Harlemensè, Daventriensè, Leovardiensè, Grœningensè, & Middelburgensè Ecclesiis, Civitatibusque prædictis, certos tunc expressos districtus aliàs distinctos, per Nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua cuius-

IV.
Ex Op.
Dipl. Mi.
rei Tom. I.
pag. 618.

que Diocesi perpetuò concesserat; Nec non Ecclesie Ultrajectensi, Harlemensem, Deventriensem, Leonardensem, Groningensem, & Middelburgensem Ecclesias, Civitates & Dioceses antedictas, earumque Episcopos, Clerum & Populum, pro suis Suffraganeis, Provincia & Provincialibus adjunxerat.

Præfato quoque Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ipsius regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas, ac alias certis tunc expressis modo & forma qualificatas ad Ultrajectensem, & alias Ecclesias erectas, tam à primæva erectione hujusmodi, quam ex tunc deinceps, quotiescumque illas vacare contingeret, per eundem Pontificem in Archiepiscopos & Episcopos, ad vocationem hujusmodi ordinandam in perpetuum reservarat, per quasdam sub plumbo, ac deinceps per alias suas in forma Brevis litteras desuper confectas.

Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusensi suo, & Apostolicæ Sedis Nuntio in partibus illis dederat in mandatis, ut personas idoneas, qui dictas Provincias & Dioceses distinguere & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis & Præposituris sub his consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi vice sua deputarat.

Dilectus Filius noster Antonius S. R. E. Cardinalis, tunc Episcopus Atrabatenfis, ac quatuor alii scientia ac probitate insignes viri, quos ipse Salvator Episcopus & Nuntius, prædicto Prædecessore interim de medio sublato, vigore seu prætextu mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonicè subdelegari poterant.

Facta nihilominus diligenti indagine, ac omnibus maturè pensatis, animadvertentes, quòd per dismembrationem Bonorum à Monasteriis ac Præposituris prædictis, si fierent, cultus monasticus non mediocriter læderetur, ipsa Monasteria & Præposituras Mensis prædictis, pro dote suarum Ecclesiarum ad hoc, ut ipsi etiam illorum Curam perinde atque suam propriam gererent, potius esse unienda.

Ac designationes & limitationes Provinciarum ac Diocesium, divisionesque, ac distributiones Oppidorum & Jurisdictionum, in nonnullis partibus ipsi Diocesi commodiores, quæ per primò dictas litteras statuuntur, nec non Constitutiones & Assignmentes dotium, & denique numerum Personarum, ac Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum & Officiorum, statum quoque & formam, in præfatis Ecclesiis, etiam per hujusmodi dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones, aliasque rationes accommodas habendas, & pro earum effectu notabilem partem Diocesis, Rerum & Jurium Ecclesie Ultrajectensis prædictæ ab illa detrahendam, & forsan alia pro rerum exigentia, adjungenda censuerunt, & super majori illorum parte processus, & scripturas, seriè digestis rebus omnibus, formandas curaverunt.

Et inter alia dictæ Ecclesie Ultrajectensi, & pro tempore existenti Archiepiscopo Ultrajectensi, Ultrajectum, Amersfordiam, Neerdam, Muyden, Wesop Woerden, Leyden, Hagam Comitum, Delft, Briel &c. pro sua Diocesi designaverunt, prout in singulis litteris ac processibus, & scripturis prædictis plenius continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis, quorum interest, attendentes quod ad arcenda, & extirpanda tot perniciofa hæresum dogmata, quibus Religio Christiana passim laceratur, & affligitur, ac simul populos ipsos in sinceritate Fidei continendos, dictus Prædecessor nulla alia aequè opportuna remedia potuit adhibere, idcirco ut ea juxta cordis sui, & nostri desiderium promptos &

fideles fortiantur effectus, etiam nostri ministerii partes præmissis adjicere, ac alias illa omnibus, quibus possumus rationibus juvare, ac promovere volentes, ac litterarum, processuum, & scripturarum prædictorum veriores tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes.

Continuis etiam hortationibus dicti Philippi Regis, id pro salute dictorum populorum enixè prosequenti excitati, motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam de Apostolicæ Potestatis plenitudine, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, divisionibus, limitationibus & distributionibus dictorum Subdelegatorum in dictis processibus specificatis, tanquam in melius reformatis, inhærendo, ac priores litteras hujusmodi quoad infra scripta commutando.

Omnia & singula Oppida, Castra, Villas & Loca, in posteriori designatione, sub delegatione hujusmodi comprehensa, cum Ecclesiis Parochialibus, Monasteriis, Collegiis, etiam Canonicorum, Capellis, Hospitalibus, Beneficiis, Locis & Personis, ac Officiis Ecclesiasticis, Sæcularibus & Regularibus, ac populis quibuscumque aliis sub eis comprehensis, præfate Ecclesie Ultrajectensi, juxta designationem hujusmodi, perpetuò concedimus & assignamus.

Et quoniam antiqui proventus annui Mensæ Episcopalis Ultrajectensis, olim uberissimi, sic sensim deperisse dicantur, ut hodie valorem annuum duorum millium, & sexcentorum Ducatorum auri de Camera, secundum communem existimationem, vix constituent, longèque tenuiores sint, quàm quod ad manutenendum Dignitatis Archiepiscopalis statum expediat.

Igitur ut ipsi Mensæ de ampliori dote ad concurrentiam Mensæ Archiepiscopalis Mechliniensis, minori quo potest detrimento, vel incommodo consulatur, à Monasterio S. Pauli Ultrajectensis, Ordinis S. Benedicti, seu illius Mensæ Abbatialis, quæ uberissimis proventibus pollet, decimas, proprietates & jura in Ducatu Geldriæ consistentia, & ad Monasterium, seu Abbatialem hujusmodi, aut Conventualem, vel communem Mensam pertinentia, quorum fructus, redditus & proventus quingentorum Ducatorum auri de Camera Apostolica, ut etiam accepimus, annuatim non excedunt, seu ex eisdem usque ad dictum valorem annuum ex nunc, dummodò, si illi ad solum Abbatem ipsius Monasterii pertineant, dilecti Filii moderni Abbatis ad hoc accedat assensus.

Sin autem, cum primum per cessum, vel decessum ejusdem moderni Abbatis dictum Monasterium vacare contigerit, ex nunc prout ex tunc, & è contra, perpetuò separamus, dividimus & dismembramus, illaque sic separata & dismembrata dictæ Mensæ Ultrajectensi, pro augmento dotis hujusmodi perpetuò applicamus, & appropriamus.

Et ulterius unam, & unum majoris, ac alium, & aliam S. Salvatoris, nec non alium & aliam Sancti Petri, ac alium & aliam Sancti Joannis, nec non reliquum & reliquam Sanctæ Mariæ Ultrajectensium Ecclesiarum Canonicatus & Præbendas, quos primò, nec non quarum insimul quingentorum.

De Oudevater, Werder Hospitalis Sancti Joannis Jerosolymitani, Bajulivatus Sanctæ Catharinæ Ultrajectensis, dicti Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, etiam tum primum illos per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum illos nunc obtinentium, etiam apud Sedem Apostolicam prædictam, aut alias quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, etiam in aliquo ex Mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum dispositio nobis, aut Romano Pontifici, pro tempore existenti, per Constitutiones Apostolicas, vel Cancellariæ Apostolicæ Regulæ, seu litteras alternatarum, aut alia Privilegia & Indulta reservata existat, seu fuerit, simul, vel successivè vacare contigerit, ex nunc prout & tunc, & è contra, vel etiam

illi ad præfens, nec non omnes, quæ longiori, quam quod in illarum fundationibus, seu ordinationibus exprimeretur, tempore vacarunt, & Priori Provinciali Domus Sanctæ Elisabeth etiam Ultrajectensis Hospitalis Teutonicorum subiectæ sunt, quarumque etiam reditus quingentorum Ducatorum auri de Camera, secundum eandem existimationem, valorem communem, ut similiter accepimus, non excedunt.

Dicti Hospitalis Beatæ Mariæ, Teutonicorum Præceptorias, Commendatarias nuncupatas, quibusvis modis, & quorumcumque personis, seu per liberam resignationem, quamvis de illis in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico & Testibus sponte factas, aut Constitutione piæ memoriæ Joannis Papæ XXII. etiam Prædecessoris nostri, quæ incipit: *Execrabilis &c.* vel assequutionem alterius Beneficii Ecclesiastici, quavis auctoritate collati vacant, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam præfatam, legitime devoluta, ipsique Dispositioni Apostolicæ, specialiter vel generaliter reservati, & Conventuales existant, ut ad illas confueverint qui per electionem assumi, eisque Cura etiam jurisdictionalis imminet animarum, super eis quoque inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum omnibus juribus, jurisdictionibus, annexis & pertinentiis suis Mensæ Trajectensis prædictæ perpetuo unimus, annectimus & incorporamus.

Ita quod liceat pro tempore existenti Archiepiscopo Trajectensi corporalem possessionem Decimarum, proprietatum, & jurium dismembratarum, nec non Præceptoriarum, Canonicatum & Præbendarum, juriumque, jurisdictionum, annexorum, & pertinentiarum prædictorum, per se vel alium, seu alios, propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuo retinere.

Ac in singulis, majori Ultrajectensi, & Sancti Salvatoris, & Sancti Petri, nec non Sancti Joannis, & Beatæ Mariæ Ecclesiis hujusmodi, tamquam inibi Capitulari, locum, vocem & auctoritatem super Decanum & Canonicos singularum Ecclesiarum earundem, habere & exercere.

Ac in ejus Diocesi, seu Provincia residendo, fructus, redditus & proventus, nec non jura, obventiones, distributiones, & alia emolumenta, etiam ratione residentie debitæ, perinde ac si ipse in singulis eisdem Ecclesiis resideret (ita tamen, quod in Civitate Ultrajectensi residens, easdem Ecclesias, earumque Chorum, ad hoc ut omnia laudabiliter procedant & observentur, frequenter visitare, ac onera dictis Præceptoris incumbencia supportare, jura quoque ab Hospitalibus & Militiis hujusmodi præstari solita omnino exigere studeat) integrè percipere, ac in suos, nec non Mensæ suæ, ac Præceptoriarum hujusmodi usus & utilitatem convertere, cujusvis licentiæ desuper minime requisita. Sic quod Archiepiscopus Ultrajectensis pro tempore existens, à prima die receptionis suæ, omnia & singula fructus, redditus, proventus, obventiones, & emolumenta omnium & singulorum, tam majoris, quam aliarum Ecclesiarum prædictarum, Canonicatum & Præbendarum, eidem Mensæ Archiepiscopali, ut præfertur, unitorum, integrè, & absque ulla profus diminutione, alias prout olim Episcopus Ultrajectensis, ac majoris, & Sancti Petri Ecclesiarum Ultrajectensium Decani percipere consueverunt, etiam in primo anno percipere valeat.

Ut autem ipse Archiepiscopus pro tempore existens in tanta Diocesi, adeoque ampla Provincia, quæ omnium prima hæreticorum irruptionibus obnoxia existit, eruditorem virorum copiam, ad meliorem Orthodoxæ Fidei defensionem, & Ecclesiasticæ jurisdictionis conservationem, commodius habere, & perpetuo confovere possit.

Statuimus & ordinamus, quòd ex omnibus Canonicatibus, & Præbendis dictæ Ecclesiæ Ultrajectensis, quos factò loco unioni Mensæ Ultrajectensis, de Canonicatu, & Præbenda Ecclesiæ Ultrajectensis primò vacaturus hujusmodi, etiam primò per cessum, vel decessum, etiam apud Sedem Apostolicam prædictam, aut aliàs vacare contigerit, vel etiam si actu nunc vacant, ac tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio, juxta Lateranensis Statuta Concilii, ad Sedem Apostolicam præfatam legitime devoluta, ipsique Canonicatus, & Præbendæ similiter Dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservati, affecti, & Sacerdotales existant, & super eis inter aliquos lis, cujus statum etiam præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa.

Tribus Magistris aut Licentiatibus in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatibus, ac tribus aliis Nobilibus ejus Diocesis, etiam in Jure, vel Theologia saltem Gradu Licentiaturæ, in famosa quapiam Universitate Studii Generalis, secundum tenorem primo dictarum litterarum promotoris, ordine præmissò servato, in perpetuum concedi, & assignari debeant.

Quodque ad sex Priores, tam Nobiles, quam alii non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi, nulli nisi Nobiles & Graduati, ut præfertur, assumi possint.

Ac omnes & singuli ratione suarum hujusmodi Præbendarum consilium, & operam in negotio Ecclesiæ & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Archiepiscopo præfato requisiti fuerint, tam conjunctim, quam divisim præstare teneantur.

Et ut de viris spectatæ Doctrinæ & Probitatis, ad ædificationem Ecclesiæ dein accuratius prospiciatur, quod ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ hac prima vice ad præfatum Archiepiscopum duntaxat, & deinde quoties illa futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Archiepiscopi, & aliorum Graduatorum prædictorum superstitum, per eos conferentur, & in hujusmodi electione Suffragium Archiepiscopi non plus juris, siue momenti, quam cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc Archiepiscopi Suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat.

Quodque posthac ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ, sub nullis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, attentionibus, ut in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, & aliis disponendo, primariis præcibus nuncupatis, aut aliis gratis præventivis per nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam præfatam, vel ejus Legatos etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & ex quacunque causa quantumlibet urgenti, pro tempore factis & concessis comprehendantur.

Nec etiam tanquam vacantes, apud Sedem Apostolicam hujusmodi, aut ulla alia ratione generaliter, vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem etiam causâ permutationis, apud Sedem eandem de illis provideri, vel aliàs quoquo modo disponi possit, sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullaque causa infringi debeat.

Quodque unus ex novem Canonicis prædictis Magister, seu Licentiatibus in Theologia, & alter Decretorum Doctor, seu etiam Licentiatibus Seniores, ratione suarum Præbendarum facultatem habeant, visitandi per universam Diocesim Trajectensem prædictam, quoties ab Archiepiscopo Trajectensi, cæteri verò Canonici Graduati prædicti

quando-

quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur, ac ex reliquis Senioribus Canonicis prædictis, duo in Theologia, & unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, unâ cum Scholastico Majoris Ecclesiæ Trajectensis promovendos ad Sacros ordines, admittendos autem ad curam animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, unâ cum Archidiacono cujus ditionis erunt, hujusmodi examinandi, respectivè curam habeant, neminem nisi idoneum, mediante juramento promittentem admittendo.

Et quoniam nuperrima hæreticorum studia, temporisque malitia viros doctos ab Ecclesiis suis diutius abesse non patitur, quòd si Canonici graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Archiepiscopo suo missi, per duos Menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant, ac omnes proventus singularum Præbendarum dictæ Majoris Ecclesiæ in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus his solis, qui divinis officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanferint, ministrari debeat.

Nec quisquam ulla dispensatione, vel alio privilegio Apostolico, quacumque causa impetrato, vel concessio, sese à residentia hujusmodi eximere poterit.

Cæterum ut eidem Archiepiscopo Trajectensi sua constet auctoritas, ferveturque uniformis usus jurisdictionis per omnem Diocèsim Trajectensem, ac Ecclesiæ Metropolitanæ Provinciae prædictæ conformitatem super his habeant, quòd Archidiaconi Ecclesiæ Trajectensis & deinceps in perpetuum jurisdictione, & Archidiaconatum administratione quisque videlicet in sua Provincia, qualem Archidiaconus Ecclesiæ Mechliniensis habiturus est, omnino potiuntur.

Cumque novem Canonicatum, & Præbendarum affectorum dispositio ad Archiepiscopum, & novem Graduatos modo præmissis sit concessa, proinde reliqui Capitulares Canonici collationem aliorum Canonicatum & Præbendarum in suo Turno ordinario habeant.

Dispositio verò Vicariarum, & aliorum Beneficiorum communis esse debeat, & per Turnos, prout hæcenus, observetur, districtiusque inhibentes universis & singulis Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis Filiis Abbatibus, cæterisque Locorum Ordinariis, nec non Sancti Joannis Hierosolymitani, & Teutonicorum Hospitalium hujusmodi Magistris, eorumque ac prædicto, cæterisque Conventibus, Superioribus & Personis, illique, vel illis, ad quem, seu quos Præceptoriarum, ac Canonicatum, & Præbendarum prædictarum collatio, electio, & quævis alia dispositio communiter, vel divisim pertinet, ac quibuscumque aliis cujuscumque dignitatis, status, ordinis & conditionis existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris, aliisque sententiis & pœnis, nec non privationis omnium Dignitatum, Beneficiorum & Officiorum, ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, nec de illis, seu eorum aliquo, si vacant, aut cum vacaverint, ut præfertur, unquam providere, aut alias disponere, seu præmissorum effectus, & executionem in aliquo quantumcumque modico impedire, aut molestiam, vel injuriam quampiam irrogare quoquo modo præsumant.

Ac decernentes ex nunc plenum jus in præmissis omnino acquisitum esse, & super his Beneficio Regularum, de non tollendo jure quæsito, ac de annuali & trienniali possessore, nec non privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, plenariè gaudere debere, ac Canonicatus & Præbendas, & Præceptorias unitos hujusmodi, ad hoc ut de illis quoquo modo disponi valeat, de cæ-

tero vacare, ac easdem, aut affectos novem Canonicatus, & novem Præbendas prædictos, per quoscumque, etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, etiam juxta concordata Nationis Germanicæ, expectativarum, & quaruncumque aliarum gratiarum, quoquo modo acceptari non posse, & nihilominus quascumque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, annexiones, & incorporationes, & alias dispositiones de eisdem, aut eorum aliquo etiam per Nos, & Sedem præfatam quomodolibet factas & faciendas, nullius prorsus roboris, vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, aut etiam coloratum titulum possidendi tribui posse.

Ac concessionem, assignationem, separationem, divisionem, dismembrationem, extinctionem, applicationem, appropriationem, unionem, annexionem, incorporationem, statum, ordinationem, cæteraque præmissa ex nunc omnino eundem effectum sortita esse, & ceteri, nec sub quibusvis revocationibus, alterationibus, suspensionibus, vel limitationibus unionum, annexionum, incorporationum, suppressionum, & extinctionum, etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per Nos, vel Successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summum Apostolatus apicem, quam alias quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis & decretis, quocumque tempore fient, includi, sed illis non obstantibus in suis vigore, robore & efficacia persistere, ac quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, & de novo concessa esse.

Sicque incommutabilis voluntatis, & intentionis nostræ fuisse, esse, & fore, præsentisque litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut in jus, vel controversiam, quacumque ratione, vel causa vocari posse.

Sicque per Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Cardinales, in quavis causa, & instantia, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si quid super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Mechliniensis, & Episcopo Amerinensi, ac dilecto Filio Præposito Ecclesiæ Arienensis, Morinensis, seu alterius Diocesis, per Apostolica Scripta motu simili mandamus, quatenus vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem præsentis litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni, ac pro tempore existentis Archiepiscopi Ultrajectensis, & aliorum quorum interest, & quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant Auctoritate nostra Archiepiscopum Ultrajectensem, & alios præfatos, concessione, assignatione, dismembratione, separatione, divisione, applicatione, appropriatione, unione, annexione & incorporatione, statum, ordinatione & litteris, ac in eis contentis prædictis pacificè gaudere, ac litteras, ac in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

Non permittentes illos per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoscumque, & rebelles per Censuras & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo; nec non legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Non obstantibus voluntate priori, & aliis præmissis, & nostris de valore tam in eisdem unionibus, quam impetrationibus, & aliis gratiis, etiam motu simili factis exprimendo, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permittis, fieri prohibentis, ac recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus diebus, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam reservatoriis, etiam in corpore Juris clausis.

Nec non aliis dictæ Cancellariæ Apostolicæ Regulis, etiam revocatoriis, & revocatoriis innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, & aliis in contrarium quomodolibet editis, & edendis, nec non Monasteriorum, & Ordinum, ac Ecclesiarum, & Collegiorum, ac Locorum, & Hospitalium prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis facultate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis.

Nec non quibuscumque specialibus, vel generalibus, etiam mensalibus reservationibus, expectativis, & aliis gratiis, etiam in Canonicos creationibus, aliis unionibus, etiam perpetuis absque consensu Coadjutorum, deputationibus, nominationibus circa accessus, & regressus facultatibus, mandatis, litteris, & concessionibus, quibuscumque personis, cujuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, & Cardinalatus honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis, & descriptis familiaribus, continuis commensalibus, ac Prælatibus domesticis, nec non Romanæ Curie Officialibus, etiam Officia sua actu exercentibus, ex quavis, etiam grandi causa, consideratione, intuitu, vel respectu, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis, & decretis, etiam irritantibus, & aliis clausulis, etiam derogatoriis derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam motu proprio, & scientia similibus, & aliis quomodocumque concessis.

Quas, & quæ illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim, & effectum, quoad præmissa omnia omninò suspendimus, ac in præmissis effectum fortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus, nec non privilegii, Indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & illorum Magistris, Fratres, & Militibus, nec non Capitulis, Conventibus, Superioribus, & aliis quibusvis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam per viam Generalis Legis, ac statuti perpetui, nec non initi, & stipulati contractus seu quasi, & aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac quibuscumque, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac aliis quomodocumque, qualitercumque, & quotiescumque concessis, confirmatis, & etiam irritatis vicibus innovatis, & concedendis, & innovandis.

Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præ-

sentibus pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia sint, quæ sub clausula implicitæ derogationis latissimè extendenda, in supplicatione apposta non intelligantur, aut aliis comprehendantur, nihilominus in genere, & in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui Apostolicâ præfatâ, vel aliâ quavis auctoritate in dictis Ecclesiis, in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus, seu commendis sibi faciendis, de Canonicatibus, & Præbendis ipsarum Ecclesiarum, ac Præceptoris hujusmodi speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis, in illis partibus generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus litteras impetraverint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliis quomodolibet fit processum, quas quidem litteras, & processum habitos per easdem, ac inde sequuta quaecumque ad Canonicatus, & Præbendas, ac Præceptorias hujusmodi volumus non extendi; sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Canonicatum, & Præbendarum, vel Præceptoriarum, aut Beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indultis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ, præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, separationis, divisionis, dismembrationis, applicationis, appropriationis, unionis, annexionis, incorporationis, decreti, mandati, suspensionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleesimo Quingentesimo, sexagesimo, Quinto Idus Martii, Pontificatus nostri, anno secundo.

Fed. Card. Cæsius.
Cæs. Glorierius.
A. de Alexiis.

Archiepiscopatum Mechliniensem, Belgii Primitiam, erigit anno 1560. eidem Episcopatus Suffraganeos assignat Antverpiensem, Gandavensem, Buscoducensem, Brugensem, Ipreensem, & Ruremundensem; simul pro dote constituens Abbatiam Affligemensem, Ordinis Sancti Benedicti, & Præposituram Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Rumoldi Mechliniæ.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

LX injuncto nobis desuper Apostolicæ servitutis officio ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium noviter erectarum, decori, & venustati, ac illis præsentium, & aliarum personarum in eis divinis laudibus insistentium statui, & opportune subventioni, cum divini cultus augmento, & animarum Christi Fidelium salute, valeat salubriter provideri.

Ac desuper etiam ea, quæ à Prædecessoribus nostris consulte gesta fuerunt, & saniori Consilio imitando disponimus, prout locorum, & tempo-

V.
Ex Oper.
Diplom.
Miræ T.I.
p. 610.